

DEO DUCE!  
DISSERTATIO HISTORICA,  
DE  
**PRÆSTANTIA**  
**HISTORIÆ SACRÆ**  
**PRÆ**  
**PROFANA,**  
Cujus  
PARTEM PRIOREM,  
Consensu Amplissimi SENATUS Philosophici  
in Regia Academia Aboënsi,

PRÆSIDE

MAG. JOHANNE  
BILMARK,

HIST. & PHIL. PRACT. PROF. REG. & ORDIN.

Atque Facultatis Philosoph. b. t. DECANO,  
Publicæ bonorum censuræ subjicit

ANDREAS ÖBERG,

NERICIA-SVECUS.

IN AUD. MAJ. DIE IX. Dec. Anni MDCCLXVII.

H. P. M. S.

---

ABOÆ, Typis Regiæ Academiæ.

LAGMANSKAN,  
HÖGVÅLBORNA FRU GREFVINNAN,  
**F<sub>RU</sub> RENATA  
CHARLOTTA  
VON MORIAN,  
FÖDD NIEROTH,**

NÅDIGA FRU.

Då vördnad och förundran hafva intagit våra sin-  
nen, så förlorar gemenligen talegåfvan sin styr-  
ka. Man finner sit zinne så högt och förträffeligit,  
at inga ord prövas tilräckeliga, at uttrycka dess värde.

Detta

*Detta händer mig i synnerhet nu, då jag offentligen borde förklara min diupaste vördnad och ärkienbla för alla de välgierningar, hvarmed NÄDIGA FRU GREFVINNAN mig öfverhopadt under den tid jag haft äran, at handleda DESS välartade och allmänt alskade Herr Son.*

*Men då jag hvarken kan tala som jag bör, ej eller min skyldighet tillåter, at vid detta önskeliga tilfälle aldeles tiga, blifver mitt dageliga giöromål det sakra, nemligent att anropa den Högste GUDEN, det Han täcktes förfingra alla de sorgemoln, som tid eftersom annan så tid upkommit, och hädanefter bekröna NÄDIGA FRU GREFVINNAN och Dess förmåma Famille med all siels önskelig välgång och fällhet. S ledes enskar och med diupesta vördnad til sista lefnads-stunden framhårdar*

## HÖGVÅLBORNA FRU GREFVINNANS

allerödmukaste Tjenare  
ANDERS ÖBERG.

Råd - och Handelsmannen i Staden ÖREBRO,  
Ådel och Högaktad,  
**Herr JOHAN BROMS,**

Min Gunstige Gynnare.

**O**ansedt det är både naturligt och billigt, at uppå  
undfängna välgjerningar bör följa tacksamhet;  
så finnas dock månge, som förgåta denna sin skyldig-  
het, i synnerhet när de åro ur sine Välgörares åsyn.  
Den Högste har väl genom sin skickelse behagat wida  
skilja mig ifrån min hemort, hvarest jag hade åhran  
at i flere år vistas uti Herr Rådmans hedervärda hus;  
men hvarken tid eller frånyaro kan utplåna ihugkom-  
sten af den besynnerliga ynnest och de många välgier-  
ningar, jag då hade förmonen i ymnogaste måtto år-  
fara. Til et litet vedermåle af min vördnadsfulla år-  
kjensta, upoffrar jag Eder, Min Gunstige Gynnare,  
Förstlingen af mina Academiska Arbeten, som hand-  
lar: *Om det företräde den Andeliga Historien bar för den Verldsliga.* Jag smickrar mig med det hopp, at Herr  
Rådman med gynnande hand emottager denna gåfva,  
hvaremot jeg altid skall bedja den milda GUDEN om  
Eder och Edra kjära Anhörigas beständiga välgång,  
samt med all högaktning til dödsstunden framhårda

Herr Rådmannens

ödmjuk tienare  
ANDERS ÖBERG,



## PRÆFATIO.

**M**ultos Philosophiam, neminem Historiam reprehendisse, Vir Celebris ANGELUS POLITIANUS ait. Quod si res ita fese habeat, causam inde arcessimus, quod in Philosophia multa occurrant spinosa argumenta & quæstionum nodi plane Gordii, qui ut solvantur graves requiruntur meditationes & pallidæ lucubrations, quibus cum multi nihil proficiunt, quod ingenio suo satis adsequi non valent, audacter carpere non dubitant. Historia autem, quum circa res gestas versetur, Lectores non diu suspensos tenet; quamobrem etiam non tam multos sui osores, vel, ut vult POLITIANUS, nullos inuenit. Verum ut nobis videtur, res amicissimæ et arctissimo inter se vinculo conjunctæ non sunt separandæ, hanc disciplinam laudando, illam culpando; nec in contrarium quidquam valet, quod illa majorem postuleat industriam, quam Historia. Qui enim nucleus esse vult, nucem frangat oportet; et insuper quidquid Historia propositis exemplis docet, Philosophia con-

cinnis exhibet præceptis. Attamen sicut sua quemvis trahit voluptas; ita hoc loco non est diffidendum, quin nobis, inde a teneris, præcipue arriserit studium Historicum. Si enim facultates animæ nostræ consideremus, ingenuus quisque palæstram heic inueniet, in qua se exerceere possit liberaliter. Historia enim memoriam amplificat, ingenium acuit, prudentiam ciuilem format ac consummat, experientiamque, illam negotiorum Magistram, insigniter auget. Quare CLERICUS: *Il n'y a rien de si beau, ni de si utile, que l' Histoire, lorsqu' elle est bien écrite. Elle supplé à ce qui manque à l' expérience de chacun, qui est toujours extrêmement borné* (a). Deinde Historia in vita formanda, post sanctissimam religionem, utramque ferme facit paginam. Reète enim dixit Livius: *In Historiis illud præcipue salubre est ac frugiferum, omnis Te exempli documenta in illustri posita monimento intueri: inde Tibi Tuæque Reipublicæ, quod imitare capias: inde fœdum incepit, fœdum exitu, quod vites* (b). Neque alia est Divinatio de futuris euentibus certior, quam conjecturam ex iis, quæ olim acciderunt, sumere. Semper enim in mundo ut eadem hominum natura manet, sic eadem ferme negotia, eadem consilia & iidem redeunt euentus; personæ tantum modo singulis ætatibus nouæ succedunt. Sed non minus in priuatæ vitæ institutione eximium usum præstant Historiæ. Ipsæ enim sunt, quæ exempla virtutum ad imitandum et imagines vitiorum ad deterrendum a flagitiis proponunt: inconstantiam rerum humanarum ob oculos dilucide ponunt;

ponunt; ut inde discamus in aduersitatum tempesta-  
tibus patientes esse, in secundæ fortunæ aura con-  
tinentes ac lenes: in dejectionibus ac ruinis fortes  
& robusti: in opulentia liberales ac benefici: in  
inopia, forte nostra si non contenti, saltem non  
abjecti aut squalidi: ut nihil, quod homini accidit,  
nouum existimemus, nihil repentinum miremur,  
nihil non aliquando putemus aut accidere posse,  
aut non quandoque accidisse. Enimuero quæ nos  
in hisce grauissimi momenti capitibus vel erudire,  
vel eruditos confirmare potest, Historia, non uni-  
us ejusdemque est generis, sed respectu Auctoris  
commode dividi potest in *Divinam* seu *Sacram* &  
*Profanam*. Illa explicat mutationes, quæ in mundo  
hocce contigerunt, & vel integras respuplicas vel  
quasdam personas concernunt ea certitudine, quæ  
a DEo, omnis veritatis scaturigine, exspectari potest.  
Et cum Historia Ecclesiastica exponat fata Ecclesiæ  
in his terris tam secunda quam aduersa, facile pa-  
tet, quod hæc ab Historia Sacra, ut pars a toto,  
differat. *Profana* autem nititur testimoniis homi-  
num & quidem non raro talium, qui a vera DEi  
cognitione fuerunt remoti; adeoque hæc multis  
obnoxia est erroribus. De cætero quum dentur ho-  
mines, qui Scripta veterum Historicorum evoluendo  
meram gustare voluptatem sibi videntur, qui vero  
in Historiæ Sacræ penu nihil sapidi, quod palato  
ipsorum conueniat, inueniunt, operæ nos pretium  
facturos existimauimus, si paucis hisce paginis præ-  
stantiam Historiæ Sacræ præ Profana vindicemus.

Tam pium propositum cordatus quisque Lector procul dubio probabit, melioremque in partem interpretabitur ea, quæ in arduo hocce arguento proferre valet tenuis nostra Minerua.

(a) *Vid. Ejusdem Parrhasiana Tom. I. p. m. 131.* (b) *Vid. Prefat. operis Historici.*

§. I.

Sicut radii Solares, a corpore Lunari repercuti, non tantum fundunt splendorem, quantus ad corpora terrestria plene illustranda requiritur, nec sensibilem quandam calorem vel in ipso speculi cauisci foco excitare solent; ita nec narrationes factorum aut eventuum, quæ ab hominibus proficiuntur, vel ignorantiae tenebras ita dissipant, vel ad vitæ emendationem tantum conducunt, ac illæ, quæ a Luminum Patre proveniunt. Historia nititur testimoniosis, ad quæ rite æstimanda adferri solet canon: *Plus valet testis oculatus unus, quam auriti decem.* Sed experientia adfatum docet, quod in foro humano testes oculati in eodem negotio diuersas sæpe proferant narrationes, &c., quod res circumstantes non satis perpenderint, a se ipsis interdum dissentiant. Longe aliter autem sese res habet cum Historia Sacra, cuius certitudinem ac veritatem nemo facile impugnabit, nisi qui ipsam veritatem in dubium vocare audet. Agnoscit enim isthac Historia, ceu diximus, DEum Auctorem, qui inter innumeratas, quas in ipso suspicimus, perfectiones, est omniscius, omnipotens & optimus. Quum omniscientiam

tiam DEi cogito, simul mihi mente utcunque fisto infinitam illam Supremi Numinis scientiam, quae sibi perfectissime repræsentat res omnes, non tantum, quum ex sapientissimo Ipsius consilio fiunt, sed etiam longe ante quam ad actum fuerunt perductæ, ita ut nihil plane aciem ejus subterfugiat; sed maxima minima uno obtutu complectatur. Quamobrem etiam DEus de se ipso profitetur, quod jam e longinquo hominum facta & conamina perspiciat. Præterea non nude Theoretica est Divina scientia, sed quidquid prævidit ac decrevit, idem quoque exsequitur: jubeat modo, mox cuncta fiunt. Omnia, quæ in mundo existunt, a DEo unice habent & existentiam & agendi vires, in nihili chaos reversura, si ipse beneficam manum vel per momentum temporis ipsis subtraxerit. Hisce DEi perfectionibus addamus eximiam Ejus bonitatem & Paternum in nos affectum, quo ad aliam veritatis lucem nos deductos cupit, & quilibet satis intelliget, testimonium Divinum de eventibus & horum causis tale esse, ut extra dubitationis aleam longissime sit positum. His præmissis, cogitemus, quales sint homines post lapsum primorum Parentum, quam sæpe in meridiana etiam luce caligemus, quam callide veritatem in suis narrationibus celent multi, quoties affectus quispiam ipsorum præcordia in contrarium sollicitaverit, & oppido deincepscludere debemus, quod Historia Sacra, habito respectu Auctoris, infinitis parasangis post se relinqvat Profanam.

## §. II.

Proxime post auctoritatem commendari meretur Historia Sacra præ Profana propter istius antiquitatem. Sicut enim illa Biographia perfectior merito censetur, quæ integrum hominis vitam, pueritiæ crepundia, juventutis molimina atque senectutis infirmitates proponit, quam quæ unam alteramve ætatem perstringit; ita quoque Historia, quæ res a nostra memoria longissime remotas dilucide explicat, procul dubio majoris est facienda, quam quæ ibi demum incipit, ubi alterius pensa finiuntur. His præmissis, observo, quod antiquitas Historæ Sacrae dupli ratione considerari possit; partim enim Biblia Sacra, quæ illam continent, ceteros libros antiquitatis gloria superant, partim etiam res adeo vetustas, serie narrationis haud interrupta, exhibent, ut de his ceteri historici vel non cogitaverint, vel, si tantum opus moliti fuerint, insulsas tantummodo conjecturas propinaverint. Non equidem ignoramus, quod recentiori ævo, quo multi sibi duxerunt laudi, auctoritatem Scripturæ Sacræ ingenii lusibus labefactare, nonnulli sint, qui existiment, Mosen, primorum librorum, qui in Bibliis occurrunt, Auctorem, suas narrationes ex aliorum scriptis, utpote antiquioribus, compilasse; sed quisquis horum placita ad veritatis lampada examinaverit, mox deprehendet, quod hi cavillatores calculos suos præpostere subducant; quod vero dilucide ostendere, injuncta nobis brevitas haud permittit. Epocham autem

tem si consideremus, unde Historia Sacra incipit, sciendum est, quod una cum tempore ipsa incipiat, & omnium rerum creatione, adeoque antiquorem aliam ne singere quidem licet. Insuper ita continuo ordine singula scitu digna proponit, ut nulla appareat lacuna. Hoc de Historiæ Sacrae antiquitate. Non equidem nos fugit, quod aliarum gentium Scriptores considerint annales, quorum filum narrationis longe ultra mundi primordia extende-re sunt annisi. Sic BEROSUS de Babylonii perhibet, quod hæc Natio per aliquot centena millia annorum substiterit; quam opinionem ne quis in dubium vocaret, idem auctor adserit, partim quod momenta, quæ 150 mille annorum ætatem sapiunt, consuluerit (*a*), partim quod observationes Astronomicas adeo vetustas haberent. Sed quum hic Berosus significet, quid Babyloniorum Rex NABONAS-SAR omnia antiqua monumenta comburenda & conculcanda curaverit (*b*), quum etiam celebres Astronomi HIPPARCHUS, TIMOCHARES, ARISTYLLUS, PTOLOMÆUS &c. qui veterum populorum monu-menta sollicite lustrarunt, nullius observationis Astronomicæ, a Babylonii ante Nabonassarem factæ, men-tionem faciant (*c*), satis apparet, hanc computatio-nem confictam solummodo esse. Hinc CICERO: contemnamus, inquit, etiam Babylonios - - conde-mnemus, inquam, hos aut stultitiae aut vanitatis aut imprudentiae, qui CCCCLXX millia annorum, ut ipsi dicunt, monumentis comprehensa continent, & mentiri judi-cemus, nec saeculorum reliquorum judicium, quod de ipsis futurum

*rum sit, pertimescere (d).* Paullo modestius se gesse-  
runt Ægyptii, qui, ut Græcis fucum facerent, suam  
Nationem per triginta millia annorum & quod ex-  
currit, floruisse jactitarunt. Ut his commentis fidem  
facerent, adseruerunt quod inde a Monarchiæ suæ  
initio observaverint 373 observationes Solares at-  
que 832 Lunares (e). Sed quum omnium populo-  
rum suffragiis observationes Babylonicae sint anti-  
quissimæ, illæ autem non ultra annum 747 ante  
æram Christianam ascendant (f); quisque videt,  
Ægyptiacas adhuc recentiores esse. Ut MANE-  
THON, celebris Ægyptiorum Historicus, antiquita-  
tis famam genti suæ vindicaret, ingentem nume-  
rum Regum, qui sibi invicem in imperium Ægypti-  
acum successisse feruntur, exhibet, quorum ætatem  
in numerato habet: verum quum hi Reges sibi non  
successerint, sed in diversis provinciis eodem tempore  
regnaverint, haud mirandum est, quod longiorem,  
quam par est, obtineat Regum seriem, & ætatem mun-  
di eliciat, ipsa temporis ætate majorem. Qvare VAR-  
RO, contendit Ægyptum inhabitare cœpisse 2000 annis  
ante suam ætatem (g), hoc est 2120 ann. circiter  
ante æram nativitatis Christi. Porro sicut gloria  
admodum est Chinensium natio, sua tantum admirans  
& alios præ se contemnens; ita quoque per-  
quam negotiola fuit in antiquissima & mundum i-  
psum anteverente Chronologia exhibenda. Quam  
prodigiosam licet, ne quis in dubium vocaret,  
contendunt se possidere observationes Astronomi-  
cas & quidem annuas, quæ adeo prolixam gentis  
caniti-

canitiem produnt. Verum quum primus Chinensium Historicus SSé-ma-thsiéne, qui opus suum Historicum 37 annos ante N. C. absolvit, sincere profiteatur, quod ultra 800 annos certa narratione rerum gestarum adscendere non potuerit (*b*); satis appareat, quod etiam saniores fatentur Chinenses, tot millia annorum in vulgi gratiam tantummodo esse conficta (*i*). Quod ad observationes Astronomicas attinet, CASSINI (*k*) & plures alii Scriptores ostenderunt, totum hunc apparatus nullius esse momenti. Immo sunt, qui adseverant, quod in Historia Chinensi nihil certi ante an. 206 ante N. C. occurrat (*l*). Denique quamvis Græcia mendax multum audeat in Historia, non tamen HERODOTUS, qui primus hanc disciplinam apud suos excolluit, ultra ætatem CYRI, primi Persarum Monarchæ, progredi ausus fuit. Ex quibus omnibus in medium allatis dilucide constat, quod Historia Sacra Profanam antiquitatis gloria longe vincat.

- 
- (*a*) Vid. *SYNCELLI Chronograph.* p. m. 14 & 28. (*b*) Vid. *SYNCELLUM* p. 207. (*c*) Vid. *MARSHAM Chronicus Canon* p. 474. & *STANLEY de Chaldaeorum philosophia. Sect. I. C. I.* p. 110. (*d*) Vid. *De Divinatione Libr. I. n. 109.* (*e*) Vid. *DIOGENES LAERTIUM in Pœm. Sigm. 2.* (*f*) Vid. *MARSHAMI Libr. cit.* p. 474. (*g*) *Apud AUGUSTINUM de civitate Dei Lib. 18. C. 40.* (*h*) Vid. *L' Academie des inscriptions Tom. X.* p. 381. & seqq. (*i*) Vid. *MARTINI Histoire de la Chine Tom. I.* p. 7. (*k*) Vid. *Memoir. de L' Acad. des sciences Tom. VIII.* p. 284, 303, 307. (*l*) Vid. *L' Acad. des Inscript. Tom. X.* p. 396.

## §. III.

Quamvis Historia Sacra proprie loquendo contineat facta illius populi, quem Deus ex mera gratia in suum elegerat peculium; attamen ejusdem Historiae initium totum genus humanum concernit: quæ notitia tanto majoris est facienda, quod ad hanc epocham non pertingat Historia Profana. Enimvero cum in corporibus duas potissimum considerare debeamus periodos, tum quomodo illa oriantur, tum etiam quomodo ipsa fatiscant & dissolvantur; scitu quoque admodum jucundum est & necessarium, quando hocce universum, quod non minus amplitudine, quam partium venustate & pulcherrima dispositione sese commendat, fabrefactum fuerit. Hujus rei cognitionem tanto difficilius adseqvi primi etiam mortaliū potuerunt, quod immensum hocce corpus non inchoatum, sed penitus consummatum viderint. Hinc factum arbitramur, ut quot fere homines, suo ingenio relicti, tot ferme occurrant sententiarum divortia de ortu mundi. Nonnulli adseruerunt, eximium hoc Theatrum, in quo scenam vitæ peragunt mortales, ex fortuito quodam atomorum concursu fuisse ortum. Horum autem sententia duabus premitur difficultatibus: scilicet ut exponatur, tum quomodo atomi isti fuerint orti, tum etiam quomodo fortuito casu, qui semper inanimadvertentiam quandam involvit, tam concinnum opus oriri potuerit? Qui itaque hanc fovent opinionem, verba tantum magnifica dant, atque fumum suis vendunt Lectoribus. Alii rufus quam nulla invenerint phœnomena, ex quibus

quibus colligere possent, mundum hunc aliquando recentem fuisse, nodum, quem solvere haud potuerunt, secturi, mundo æternitatem tribuerunt: sed quæ sententia ut in Majestatem Divinam est injuriosa, ita quoque maxime absurdâ erit censenda. Ex obscuris igitur his labyrinthis sese expedire volentibus filum Ariadnæum nullum porrigit Historia Profana. Quid autem Historia Sacra? Velum illud, quo desiderata hæc notitia involvitur, confessim retegit. Utar autem verbis elegantissimis Cel. ROLLINI: *L' Historie Sainte commence par nous révéler clairement en trois mots les plus grandes & les plus importantes vérités: Qu'il y a un Dieu; qu'il est avant tout, & par consequent éternel; que le Monde est son ouvrage, qu'il l'a formé de rien par Sa seule parole, qu' ainsi il est Tout-Puissant. Au commencement Dieu a créé le Ciel & la Terre.* Gen. 1: 1. (a). Immo longius adhuc progreditur Benignissimum Numen, atque ut naturalem hominum sciendi cupiditatem pasceret, ordinem, quo cuncta in hoc universo condita fuerunt, dilucide exponit, modum etiam explicaturus, si infinitam Ejus potentiam finitum nostrum capere potuisset ingenium. Nec tamén in hoc negotio vel sibi vel nobis defuit: *Dixit enim & facta sunt.* Quocirca egregie commentatur Rollinus: *Dieu dit en un mot, ce qui ne Lui a coûté qu'une parole. Mais qui peut sonder la vaste étendue de cette parole?* (b).

---

(a) Vid. *Traité des Etudes* Tom. III. p. m. 122. (b) Vid.  
Libr. modo cit. Tom. II. p. m. 478.

## §. IV.

Si porro quæratur: qualis primorum hominum fuerit conditio, qui mores & quæ gesta? Talia sciscientibus facem iterum lucidissimam præfert Historia Sacra. Hæc enim nobis sittit hominem, ex manu omnipotentis DEi prodeuntem, corpore organico & anima rationali constantem: tradit etiam corpus ex pulvere terræ formatum, animamque flatu Divino ipsi inditam. Docet insuper, in sanctitate & justitia conditum, ad meram felicitatem a DEo fuisse destinatum, sed quum suis perfectionibus haud ita multo post abuteretur, per transgressionem Legis Divinæ fuisse corruptum, ejusque culpam ad omnes Protoplastorum posteros ex justissimo DEi judicio transisse, indeque malorum agmina provenisse, quæ genus nostrum postmodum adfixerint. Dehinc nobis exponit, quinam homines antediluviani in quavis fere ætate reliquis fuerint celebrieres, quodnam vitæ genus elegerint, quid egerint notatu dignum, & denique quamdiu Familiarum capita vixerint. Quantum ab hoc lumine differant dubia narrationum crepuscula, quæ in profanis cernuntur Scriptis, contentione facta, statim apparet. Non equidem negamus, quin veteres gentiles opinionem habuerint felicioris enjusdam vitæ olim existentis, de qua inter alios sic canit OVIDIUS - - *Aurea prima sata est ætas, quæ, vindice nullo, -- Sponte sua sine lege fidem reclamaque colebat, --- Mollia securæ peragebant otia gentes (a).* Enimvero famam Statutus integratatis, quem nomine aureæ ætatis adumbrare

brare voluerunt, ex traditionibus & conversatione cum Judæis, ut multa alia, acceperunt. Quam sententiam si quis ægre admittat, dicendum est, quod quum nepotes res gestas Majorum prolixiori sape veneratione, quam par est, prosequantur, ipsorum quoque ætatem innocentem ac sortem felicem fuisse existimarunt, atque ita argumentando pergentes, prima mundi sæcula fuisse felicissima venditarunt. Gentilibus autem in originem mali inquirentibus aqua hæsit. Hinc gravissimus ille Philosophus PLATO querit: ος τὰ αἰαθέτα πίνει τὰ κακά; Quo non minus in hoc negotio dubius fuit NUMENIUS, interrogans: τις οἱ αἰαθέται, πίνει κακοὶ οἱ αἰθέωποι; Ut ex hoc Labyrintho se expedirent, plerique Philosophi duo principia fuisse, seu DEos sibi invicem contrarios, quorum alter bona, alter mala conficeret, statuerunt; sed quantum hi ipsi suis argutiis a veritate recesserint, Historia Sacra satis docet superque: Deniqueo bseruo, quod Scriptores Profani nobis subinde exhibeant longam seriem Regum, qui per centena aliquot millia annorum certis populis fuerunt dominati; sed quo in negotio Mosen satis infeliciter sunt imitati. Adsignant quidem unicuique certam ætatem, quod artificium mediocrem arithmeticæ peritiam postulat, sed quid quisque gesserit, aut quis eventuum fuerit nexus, cum ignarissimis ignorant, nec hunc defectum conjectando supplere audent, ne mendacii convincantur, quamuis vetustissimorum documentorum copia se abundasse adserant.

(a) Vid. *Libr. Metamorphb.* I.

## §. V.

Quod globus noster terraqueus magnam aliquando subierit mutationem, atque ingens vastitas ipsi ita fuerit inducta, vel sola superficie telluris inæqualitas primo adspœctu quemuis docere potest. Hinc gentes tantum non omnes de eo fuerunt persuasæ, quod aqua, perruptis, qui impetuositati ejusdem objecti fuerunt, aggeribus naturalibus, vel totam tellurem vel saltem magnam ejus partem inundaverit. Si Profanos consulamus Scriptores, deprehendimus, quod plerique ipsorum dubii hæreant, an universalis, an vero particularis fuerint inundatio; caussam hujus & tempus, quo contigit, si Græcos excipiamus, ne quidem subodorantes. Ex Historia OSIRIS & TYPHONIS quodammodo colligi potest, quod Ægyptii aliqualem notitiam diluvii universalis habuerint, sed quod clarius apparet ex PLATONE, qui testatur, quod Sacerdos quidam Ægyptiacus ex fide librorum, quos ut Sacros venerabantur hi populi, narraverit SOLONI de Diluvio, quod longe ante acciderit, quam particulares inundationes affligerent Græciam (*a*). Cives quoque urbis Heliopolis in Syria ingentem Terræ aperturam in templo Junonis monstrare solebant, quam diluvii aquas absorbusse fabulabantur (*b*). Græcos autem suam de diluvio cognitionem ab Hebræis mutuo sumsisse, convenientia inter Historiam Sacram & fata DEUCALIONIS dilucide ostendit. Ecce autem quid memoriæ produnt Græci Scriptores. Quum primi homines virtutem negligenter, alios vexarent, fidem datam viola-

violent, gravissimis sceleribus distinerentur, & imprimis nullam hospitalitatem erga alios exerce-rent, gravissinam sibi accelerarunt Numinis vindictam. Ex visceribus igitur terræ subito erupit ingens aquæ quantitas, quam hinc continuæ pluviae, inde mare & fluvii, objecta sibi claustra supergressi, immensum in modum auxerunt, adeo ut omnia aquis submergerentur. In turbulento hocce rerum statu solus fuisse perhibetur DEUCALION, quem sua prudenter & pietas ab imminentis mortis periculo liberavit. Scilicet arcam, *λάγχανα* appellant Græci, ipse una cum filiis & horum uxoribus intravit, & deinde ad se admisit pierorumque animalium paria, quorum licet multa ferocis essent indolis, ipsum tamen non infestarunt, DEo amicitiam inter homines ac bestias conciliante (c). Ex quibus apparet, quod parum absuerint Græci ab accurata diluvii universalis notitia, quam tradit Historia Sacra. Hujus autem præstantia in hoc iterum articulo manifesto eluet. Docet enim, non solum, quod plerique hominum fuerint injusti, sed quod DEus his immorigeris dederit tempus CXX annorum, ut resipiscerent. Quum vero hi oblatam gratiam contemerent, DEus continua XL dierum pluvia terram adeo adfixit, ut aqua altissimos mentes supergressa, omnia suffocaverit præter NOACHUM, hujus familiam & animalia, quæ in suo fuerant navigio; ut plura alia momenta, scitu dignissima, quæ Sacra prodit Historia, sicco jam prætereamus pede.

(a) Vid. PLUTARCH. de Iside & Osir. p. 356. & PLATO in Timao. (b) Vid. LUCIAN de DEa Syria Tom. II. p. 882. (c) Vid. Historie de la Grèce par M. TEMPLE Tom. I.

## §. VI.

Haud scio, qui plerumque fiat, ut quum homines illa sibi habeant perspecta, quæ extra se contingent, adeo tamen nonnunquam in se ipsis sint hospites, ut ignorent, quid in ipsorum gremio accidat? Quod Globus hic terraqueus magnam subierit mutationem per diluvium, gentes tantum non omnes sunt subodoratae, sed quænam fuerit diversitatis linguarum ratio & quænam dispersionis generis nostri per telluris superficiem causæ, ignorant etiam illi Philosophi, qui se nihil ignorare, aliis persuadere voluerunt. Concessit enim Deus homini facultatem sensa animi sui per sonum articulatum cum aliis communicandi, sermoque est praestans illud donum, quo DEo & aliis desideria nostra significamus, quo præterita tanquam præsentia exhibemus & de futuris satis accurate judicamus. Satis autem probabile etiam rationi sibi relictæ est, quod homines ab initio eadem usi sint lingua, quam sententiam certissime confirmat Historia Sacra. Hæc autem insuper docet, quod per CL annorum spatium post diluvium genus humanum insigniter fuerit auctum & quod Deus voluerit, ut per telluris orbem dispergeretur. Homines autem decreti divini haud ignari, qua sunt ingenii levitate, penates suos artissime conjunxerunt, & post cataclysmi vicissitudines

nes in campis Sinear, sive locorum amoenitate ducti, sive pericula in aliis locis præsertim a ferocibus animalibus timentes, diu substiterunt. Immo quum ipsa necessitate saepe cogerentur, longinquis excursi- nibus, incremento præcipue hominum multitudine, vietum sibi querere, communi consilio decretum fuit, ut ingentem exstruerent urbem atque altissimam ibi ædificarent turrim, quæ tamquam Pharos esset, peregre profectis viam ad desiderata monstrans tentoria. Enimvero cum hæc molimina adversarentur proposito Summi Numinis, quumque ex coacervata hominum multitudine in loco quodam truculentissima, feroci illa ætate, facile oriri posset scena, DEus, qui hominum libertatem non constringit, linguas eorum confudit, adeo ut pauci se invicem inteligerent. Rupto autem aptissimo hoc societatis vinculo, mox a se invicem discesserunt hominum manipuli, & novas sibi quæsiverunt sedes. Hæc omnia dilucide tradit Historia Sacra; sed Profana vel tanta magnalia reticet, vel insulsa fabulas nobis proponit. Sic referunt quidem Græci Scriptores, quod DEUCALI- ON hujusque conjux PYRRHA, ut genus humanum, post diluvium ad incitas redactum, repararent, lapi- des collegerint, ex quibus, post tergum projectis, novi homines confessim succreverunt: sed vix lippis & tonsoribus ista probabitur fabula, cui nihil inest, quod vel minimam veri speciem habet.

## §. VII.

Haec tenus ostendimus, quod Historia Sacra in iis partibus, quæ prima generis humani facta concorrunt,

palmam præripiat profanæ. Quod si jam seorsim considerare velimus quasdam nationes, illius præ hac præstantia magis dilucide constabit. Cum igitur DEO O. M. placuerit, manipulum qvendam ex toto hominum coetu feligere, hujusque specialem in se curam suscipere, de Israëlitis, dilecto DEi populo, momenta nonnulla erunt in medium adferenda. Postquam hi in Ægypto in tantam increverant multitudinem, ut Reges Ægypti illorum potentiam extimescerent; ne cristas erigerent, & veteres forte colonos ejicerent, iidem Reges gravissimis ipsos adfixerunt laboribus. DEus autem populi sui, præter meritum oppressi, misertus, dum duplicantur lateres, misit Mosen, qui Israëlitas ex domo servitutis in felicem terram Canaan deduceret. Multa heic occurrunt momenta, in quibus exponendis Historia Profana a Sacra discrepat, quorum nos duo vel tria solummodo enucleabimus. Et primo quidem causam expulsionis Israëitarum ex Ægypto leviter tangemus. Varia heic in censum veniunt, quæ rationes odii, quod in Israëlitas conceperant Ægyptii, pandunt. Scilicet: quod hi alias nationes præse contemnerent: quod Israëlitas, ut rei pecuariæ redditos & qui carnes animalium comedenter, ferre non possent: quod diverso cultu Divino uterentur: quod felicem rerum successum ipsis inuidenter & potentia ipsos Ægyptios superarent. Vera autem causa expulsionei Israëitarum ex Ægypto talis fuit. Quum Rex Ægypti neque sollicitationibus Mosis neque immisis calamitatibus permoveri posset, ut Israëlitas ex mandato Divino dimitteret, DEus tandem misit

An-

Angelam exterminatorem, qui omnes primogenitos in Aegypto una nocte peremit. Tantam cladem quum sibi propter retardatum Israëlitarum egressum fuisse infictam, probe scirent Aegyptii, illos a se pepulerunt, ne eodem exitio superstites omnes involverentur. Enimvero secundum Auctores profanos causa expulsionis fuit, quod inter Israëlitas foedissimas ingravesceret morbus, lepram intelligo, qua ne pars sincera Aegyptiorum adfligeretur, Israëlitas vi & armis extra regni pomoeria pepulerunt. Oberimon, auteur celebre parmi les Grecs, dit que sous le regne d' Amenophis, deux cens cinquante mille Leproux furent bannis d' Egypte, & en sortirent sous la conduite de Tisibren & de Petreseth, c'est a dire Moïse & Aaron (a). Enimvero licet non negemus, lepra subinde adflictos fuisse tam alios populos, quam Israëlitas; attamen quum hi ipsi ob temperantiam commendentur, hæc ratio in contumeliam hujus gentis confusa videtur. Porro docet Historia Sacra, quod dum PHARAO, Rex Aegypti persequeretur Israëlitas a se dimissos, & hi ancipiti premerentur periculo, siquidem hinc feroce Aegyptii acinaces in ipsos stringerent, inde autem Mare Rubrum elabendi viam occluderet, DEUS, immisis ventis, aquas maris una nocte ita diremerit, ut instar murorum utrinque consisterint, fundum maris detexerint, per quem, tamquam per stratam viam, transierunt Israelitæ. Verum quidem est, quod Historia Sacra nobis proponat hoc phænomenon, ut miraculum, sicut revera fuit, quod Profana exhibet ut effectum naturalem refluxus maris (b). Sed si præter alia cogitemus, partim quod ex Theoria fluxus & refluxus maris, refluxus ejusdem eo tempore non potuerit esse maximus, partim quod refluxus naturalis tamdiu durare vix potuerit, donec Israëlitæ cum liberis, pecudibus & necessariæ supellecili transissent, quisque facile videt, quod veritas a parte Historia Sacra militet. Denique docet Historia Sacra, quod quum Israëlitæ in deserto grauissima siti fere exhausti essent, & proinde Moses insultus corum ferre cogeretur, hic ex man-

dato Divino rigidam petram baculo suo percuesserit; quo facta, limpidissima inde promanavit aqua. En iterum miraculum, qualia facta quum Ethnicis fides in oculis fuerint, eorum veritatem, propositis argutis explicationibus, dubiam reddere studuerunt. Quod etiam in præsenti negotio fecit TACITUS, ita vero ille: *Sed nihil aque, quam inopia aquæ fatigabat. Jamque haud procul exitio totis campis procubuerant, cum gressus asinorum agrestium e pastu in rupem nemore opacam concessit. Secutus Moses, conjectura herbidi soli, largas aquarum venas appulit (e).* *Enimvero quum Moses memoria prodat, quod & ipse fecerat, & plura millena hominum viderant, Tacitus autem, quod per fatam accepit, vi regularum de probabilitate aestimanda, ille omnem, hic nullam fere meretur fidem.* Adde, quod solum herbidum non probet, terram hanc fuisse aquis irriguam, siquidem illa fertilitas oriebatur ex pluvia, quæ statim anni temporibus decidens, illas regiones reddidit foecundas (a). Sed hæc ulterius prosequi instituti ratio nunc non permittit, quare quæ dicenda supersunt in aliud tempus, si DEO visum fuerit, differimus.

---

(a) Vid. MARIANA *Espion dans les Cours des Princes Chrétiens* Tom. IV. p. 340, cui addit TACITUM *Histor.* Libr. V. Cap. 3. §. 1. 2. (b) Vid. DIODORI SICUL. Libr. I. (e). Vid. TACITI *Liber. 5 Esp. cit.* §. 4. (a) Vid. *Histoire Ancienne par Mr. ROLIN* Tom. I.

